

nosse se commentum consulentis ostendit: oratus enim, ad id quod in literis clausum erat respondere, chartam poposcit, quam cum Sacerdotes attulissent, sicut erat claudi iussit & remitti: illis quidem attonitis, & quid sibi vellent præstigia Dei sui, cum admiratione reputantibus, nec minus admirans Imperator, oblatam vidit & aperuit, vt qui solus facti conscius foret, & chartam illi signatam quoque, sed vacuam misisset. Itaque iam satis expertum credens, & de templi Religione certissimus, secundis literis consuluit: Esset ne post belli finem Romam reuersurus: Ille autem scripto nihil, vitem in partes sectam, ac sudario inuolutam remisit Principi, Traiani mors proximis vindemiis consecuta, reliquæque Romam reportatæ, responsi nubilum discussissent.

## FORTVNANTIA.

Sed ne Apollo solus Imperatoribus nostris irriferit, C. Caligula, variis vndique prodigiis pulsatus, templum Fortunæ Antij consuluit, quem locum veluti natalem, sibi omnibus locis atque secessibus (vt Tranquillus ait) semper prætulerat. Responsum: Caueret à Cassio. Ea re